Bryn Mawr College
Scholarship, Research, and Creative Work at Bryn Mawr College

Hermann Sauppe Library

Bryn Mawr College Publications, Special Collections, Digitized Books

1841

De temporibus Convivii Platonici commentatio

Josef Spiller

Let us know how access to this document benefits you.

Follow this and additional works at: http://repository.brynmawr.edu/digitizedbooks

Part of the Classics Commons

Custom Citation

Spiller, Josef. 1841. *De temporibus Convivii Platonici commentatio.* Gleiwitz: Neumann.

This paper is posted at Scholarship, Research, and Creative Work at Bryn Mawr College. http://repository.brynmawr.edu/digitizedbooks/8

For more information, please contact repository@brynmawr.edu.

Zu der

am Schluße des Schuljahres 18$\frac{40}{41}$

den 19. und 20. August abzuhaltenden

öffentlichen Prüfung

der Schüler des königl. kathol. Gymnasiums in Gleiwitz,

und zu der

auf den 21. August festgesetzten

Schulfeierlichkeit

ladet ergebenst ein

D. Joseph Kabath,

Director und Professor.

Inhalt.

1. Abhandlung von dem Hrn. Gymnasial-Lehrer Joseph Spiller: De temporibus Convivii Platonici commentatio.

2. Schulnachrichten von dem Director.

Gleiwitz,

gedruckt bei Gustav Neumann.

1841.

De temporibus Convivii Platonici commentatio.

Nihil in studiis parvum est.
Quint.

Convivium Platonis quam egregiam habeat et orationis et argumenti commendationem, non nesciunt omnes. [1]) Sed multæ harum virtutum facilius intelligentur et quorsum singula quæque pertineant, rectius judicari poterit, ubi cognita et perspecta habueris ejus tempora, quæ quidem ut veteribus jam scriptoribus uberrimam vituperandi Platonis materiam præbuerunt, ita etiam nunc multum difficultatis afferunt, id quod viri doctissimi, quum Convivium illustrandum suscepissent, et intellexerunt optime et ingenue professi sunt. Quam ob rem quum in eo sum, ut tempora Convivii Platonis quam fieri possit diligentissime examinem, non videbor iis nugas egisse, qui et quæ sit ratio et qui finis philologiæ historicæ exploratum habent. Sic, ut hoc unum afferam, sæpenumero nonnisi ex temporum ratione falsas opiniones de fine, quem quis in opere scribendo secutus videatur esse, refutari posse, quis est qui nesciat? Huic autem disputationi is ponendus fuit modus, non ut quantam res ipsa ubertatem caperet assequerer, sed ut ea, quæ maximi viderentur momenti esse ad quæstionem solvendam, in medium proferrem. Non enim quam copiose, sed quam accurate dicas, videndum est sedulo. Nunc, quod reliquum est, illud etiam atque etiam rogo, ut hæc qualiscunque scriptio eadem excipiatur humanitate, qua ego illam in lucem emisi modestia semper memor illius Terentiani:

Quando non potest id fieri, quod vis,
id velis, quod possis.

---

[1]) Ut editores Convivii taceam, vide quæ H. Th. Rœtscher, vir eruditissimus, elegantissime disputavit programmate: Das Platonische Gastmahl, dargestellt als ein philosophisches Kunstwerk. Bidgostiæ 1832.

Recte quidem Athenæus, Homeri in describendis conviviis artem laudans Deipnos. V. p. 186. D. ed.Casaub. (p. 202. ed. I. Schweigh.) *ἀφορίζει γὰρ*, inquit, *αὐτῶν ὁ ποιητὴς χρόνους, πρόσωπα, αἰτίας. τοῦτο δὲ ὀρθῶς ἀπεμάξατο ὁ Ξενοφῶν καὶ Πλάτων, οἳ κατ' ἀρχὰς τῶν ξυγγραμμάτων ἐκτίθενται τὴν αἰτίαν τοῦ συμποσίου καὶ τίνες οἱ παρόντες.* Sed tamen qui in tempora Convivii Platonici inquirere instituit, in ipso dialogo pauca tantum eaque levissima reperiet vestigia, e quibus de temporum ratione conjecturam facere liceat. Illud autem statim apparet, tria tempora esse distinguenda, quo scilicet habitum, quo narratum, quoque scriptum est Convivium, de quibus temporibus deinceps nunc videndum est.

Jam quod habiti convivii tempus attinet, non potest ullo modo dubitatio esse, quum in dialogo ipso p. 173. A. HSt. legantur hæcce: *ἀλλ' εἰπέ μοι, πότε ἐγένετο ἡ συνουσία αὕτη; Κἀγὼ εἶπον, ὅτι παίδων ὄντων ἡμῶν ἔτι, ὅτε τῇ πρώτῃ τραγῳδίᾳ ἐνίκησεν Ἀγάθων, τῇ ὑστεραίᾳ ἢ ἧ ἐπινικία ἔθυεν αὐτός τε καὶ οἱ χορευταί.* Unde efficitur, convivium celebratum esse eo tempore, quo Agatho prima tragœdia victoriam reportaverat. Quod quo sit factum anno refert Athenaeus Deipnos. V. p. 217. A. ed. Casaub. (pag. 335. ed. Schweigh.) *ὅτε γὰρ Ἀγάθων ἐνίκα, Πλάτων ἦν δεκατεσσάρων ἐτῶν. ὁ μὲν γὰρ ἐπὶ ἄρχοντος Εὐφήμου στεφανοῦται Ληναίοις.* Cum quibus consentit non nominatus Olympiadum scriptor ad Ol. XC. a. 4. *Ἀγάθων ὁ τραγῳδοποιὸς στεφανοῦται Ληναίοις.* Apparet igitur luculentissime, Agathonem Ol. XC. a. 4. fabulam docuisse eaque victoriam reportavisse Lenæis, h. e., Phil. Buttmanno et Aug. Bœckhio judicibus, [2]) Gamelione mense, id quod etiam Convivii verba p. 223. C. posita: *καὶ καταδαρθεῖν πάνυ πολύ, ἅτε μακρῶν τῶν νυκτῶν οὐσῶν* affirmant. Sed quod scholiasta Ravennas ad Aristophanis Thesmophoriazusarum v. 30. apud G. Dindorfium t. X. p. 945. Agathonem primum fabulam docuisse narrat tribus annis ante Thesmophoriazusas actam: *[ἐπ]ειδὴ οὐ πάλαι ἤρξατο δι[δά]σκειν, ἀλλὰ τρισὶν πρὸ [τού]του ἔτεσιν*, falsum esse, quum alii monuerunt, [3]) tum Frid. Ritschlius, vir eruditissimus, qui in sententiis controversis additis particulæ commentationis de Agathone [4]) scriptæ errorem illum existimavit ita esse tollendum, ut pro *τρισὶν* scribatur *ἕξ*. Quod quam verum sit, postea videbimus. Diversissima autem sunt virorum doctorum judicia de tempore, quo data sit Thesmophoriazusæ. Secundum scholiastam Ravennatem ad Thesmoph. v. 30. Agathonem pri-

---

2) Cf. Krueger. ad Clinton. Fast. Hell. p. 345. C. G. Firnhaber. ad Eurip. Iphig. Aul. p. XLVII.

3) Vid. Clinton. Fast. Hell. Procem. p. XXXIII. ed. Krueger.

4) Hal. 1829. 8.

mum fabulam docuisse vidimus tribus annis ante Thesmophoriazusas actam; atqui Agathonem novimus Euphemo archonte vicisse, i. e. Ol. XC. a. 4. Lenæis: ergo data fuerit fabula Ol. XCI. a. 3. Pisandro archonte. Deinde idem scholiasta ad Aristoph. Thesmoph. v. 841: *ἐπαινεῖ*, inquit, *τὸν Λάμαχον νῦν· ἤδη γάρ ἐτεθνήκει ἐν Σικελίᾳ τετάρτῳ ἔτει πρότερον.* mortuus autem est Lamachus secundum Thucyd. VI. 101. Ol. XCI. a. 2. extremo: ergo fabula edita fuerit Ol. XCII. a. 2. Theopompo archonte. Aliter schol. Rav. ad v. 190. [*γέρων*] *γὰρ τότε ἦν. ἕκτῳ γοῦν ἔτει ὕστερον τελευτᾷ.* Quodsi Euripides Ol. XCIII. a. 3. obiit, Aristophanes Thesmophoriazusas docuerit Ol. XCII. a 1. Callia post Cleocritum archonte. Vides his testimoniis, quibus complura alia addi possent, rem non confici. Neque major est consensus virorum doctorum. Ita S. Petitus Miscell. I. c. 13. Ol. XCII. a. 4. statuit, J. Palmerius ad Thesmoph. v. 810. et 814., Fr. Heinischius Proleg. ad Eurip. Helen. p. 59. sq. [5]), G. Dindorfius ad Aristoph. Fr. p. III., Gf. Hermannus Eurip. Helen. p. VIII. Ol. XCII. a. 1., Bœckhius Trag. Græc. princ. p. 174. Ol. XCI. a. 3., R. Hanovius Exercit. Critic. p. 85., P. P. Dobræus ad Dindorf. p. 92, F. V. Fritschius ad v. 807. Ol. XCII. a. 2. Thesmophoriazusas actam. Cf. Clinton. Fast. Hell. p. XLI. sq. Quod postremo loco posui tempus verum esse, argumentis ex ipsa fabula petitis confirmatur gravissimis. Jam versus quidem 804., ubi Charmini prope Symam ab Astyocho Lacedæmonio Ol. XCII. 1. Callia archonte (cf. Thucyd. VIII. 42.) victi mentio fit, et ad tempus cladis acceptæ et ad priora tempora referri potest, quamquam libenter concedo, non ita multo post actam esse Thesmophoriazusas simul inde sequi. Sed quod Aristophanes v. 807. sqq. dicit, eo notari senatores superioris anni, qui ignave sibi passi sint eripi dignitatem a quadringentis viris, primus egregie observavit Palmerius. De re qui legatur dignus est Thucydides VIII. 66. 69. 70. Virorum autem quadringentorum dominationem ab Antiphonte Ol. XCII. a. 1. Callia archonte constitutam Ol. XCII. a. 2. ineunte Theopompo archonte exstinctam esse, docemur a scriptore Vit. X. orat. p. 835. et 833. *ἐπὶ Καλλίου τοῦ μετὰ Κλεόκριτον ἄρχοντος, ἤδη τῶν τριακοσίων κατεχόντων τὴν πόλιν*, et *ἐπὶ Θεοπόμπου ἄρχοντος ἐφ' οὗ οἱ τετρακόσιοι κατελύθησαν*, nec non a Diodoro XIII. 34. et 38. *ἐπ' ἄρχοντος δ' Ἀθήνῃσι Καλλίου — ἑλόμενος δὲ ἄνδρας τετρακοσίους τούτοις τὴν διοίκησιν ἐπέτρεψε τῶν κοινῶν*, et *Ἀθήνῃσι μὲν τῶν τετρακοσίων ὀλιγαρχίαν κατέλυσαν.* Quadringentos quatuor tantum menses regnando explevisse auctor est Harpocratio v. *τετρακόσιοι* his verbis: *οἱ τετρακόσιοι πρὸ ἑπτὰ ἐτῶν κατέστησαν τῶν τριάκοντα τυράννων παρ' Ἀθηναίοις, οἵτινες τέτταρας μῆνας*

5) Vratisl. 1825. 8.

ἦρξαν τῆς πόλεως, ὅ φησιν Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ. Jam vero Aristophanes quum dicat senatores anno ante magistratu discessisse eumque successoribus tradidisse (τῶν πέρυσίν τις βουλευτής), Thesmophoriazusas Ol. XCII. a. 2., quo anno Theopompus archon fuit, doctas esse perspicuum est.

Neque prætermittendum in hac quæstione est, quod Aristophanes anno ante Thesmophoriazusas Euripidis Andromedam datam esse dicit v. 1060: πέρυσιν ἐν τῷδε ταὐτῷ χωρίῳ. Cujus quidem fabulæ tempus quamquam non satis exploratum habemus, illud tamen non possum quin hoc loco ponam, Euripidis Andromedam et Helenam eodem tempore in scenam prodiisse, teste scholiasta Rav. ad Thesmoph. v. 1012. συνδεδίδακται (i. e. Ἀνδρομέδα) γὰρ τῇ Ἑλένῃ. Jam S. Musgravius ex Thesmoph. v. 1069. sq. collegit Andromedam anno ante Thesmophoriazusas actam. Mnesilochi autem apud Aristoph. Thesmoph. v. 849. sq. verba ostendunt, Helenam proximo ante Thesmophoriazusas tempore datam fuisse ab Euripide. καινὸς enim adjectivum, licet non inepte ad novum de Helena mythum possit referri, tamen plerique intellexerunt de fabula nuperrime data scholiastam Rav. secuti, qui interpretatur ὑπόγυον δεδιδαγμένην. Vid. A. J. E. Pflugkius Præf. ad Eurip. Hel. p. 12., Gf. Hermannus Eurip. Hel. p. VIII., Heinischius l. c. p. 62. sq., Herm. Zindorferus Chronologia fabularum Euripidearum p. 75., quorum postremus nonnullos Helenæ versus, quos Aristophanes vel repetiit vel respexit, attulit. Omnem autem suam vim amisisset Aristophanis irrisio, qua Euripidis et Andromedam et Helenam exagitavit, si non statim post scriptam utramque tragœdiam, sed interjecto longiori tempore, ubi fabulæ illæ non amplius in recenti memoria erant, Thesmophoriazusas docuisset.

Reliquum est, ut quid scholiastæ Ravennatis verbis ad Aristophanis Ran. v. 53.: ἡ γὰρ Ἀνδρομέδα ὀγδόῳ ἔτει προῆκται. statuendum videatur esse, paucis comprehendam. Hoc falsum esse concedat necesse est, qui quæ modo disputavi probanda esse sibi persuaserit. Illo enim auctore quum Ranæ data sit Ol. XCIII. a. 3., Andromedam actam esse sequeretur Ol. XCI. a. 4., ne dicam Ol. XCI. a. 3. Quare Dobræus apud Dindorfium p. 92., ut scholiastæ errorem corrigeret, pro ὀγδόῳ voce ἑβδόμῳ scribendum esse censuit, Ritschlius autem in sententiis controversis l. c. ἑβδόμῳ vel ἕκτῳ proposuit legendum. Utrumque probari potest, quamquam ea numerandi annos ratio, quæ recepto ἕκτῳ numerali adhibetur, et facilior intellectu et usitatior videtur esse. Quodsi ἑβδόμῳ præferas, ita interpretandum cum Dobræo putaverim esse, ut ἑβδόμῳ ἔτει non sit „septem annos ante," sed „septimo anno," i. e., quinque annis integris intercedentibus inter eum quo Andromeda et eum quo Ranæ docta est. Ceterum est, quod miremur, etiam Zirndorfium l. c. illo scholiastæ testimonio ad Helenæ et Andromedæ tempus definiendum esse usum.

Nunc redire licet, unde digressus sum. Etenim satis jam videtur apertum esse, scholiastæ Ravennatis ad Thesmoph. v. 30. verba meam de primo Agathonis scenico certamine sententiam tantum abesse ut infringant, ut vel corruptelam vel ipsius scholiastæ errorem clamitent. Hinc vero apparet, nihil prorsus esse, cur Athenæo non credamus docenti, Agathonem victoriam reportasse Lenæis, archonte Euphemo, quum Plato adhuc puer esset quatuordecim annorum, Ol. XC. a. 4. Ab hoc autem anno non diversum esse tempus habiti convivii, et per se est consentaneum et ipsius dialogi verba jam supra allata p. 173. A. declarant. Quare quoniam Agatho victor exstitit anno quarto Ol. XC., convivium, quod celebratum esse Apollodorus Platonicus narrat altero post epinicia die, eidem prorsus tempori assignandum est.

Quæ res quum videatur nunc satis esse perspicua, ad aliam jam quæstionem liceret transgredi, nisi a Fr. A. Wolfio Introd. ad Plat. Conviv. p. XL. sq. suspicio excitata esset, non omnes, quos Plato Agathonis convivio interfuisse narrat, Athenis affuisse. Quod ut probet, Alcibiadem affert, quem quum Ol. XC. a. 4. quintus et decimus sit annus belli Peloponnesiaci, verisimilius dicit esse illo tempore in urbe non fuisse. At vir illustris videtur errasse. Etenim notum quidem est, Alcibiadem, fœdere inter Athenienses et Argivos composito, Ol. XC. a. 4. Argos venisse æstate Thucydide V, 84. teste, ut Argivos in struendis muris, quibus urbem mari conjungi volebant, consilio adjuvaret, sed tamen non diu videtur ibi moratus esse, ita ut hiberno tempore, quo habitum est convivium, commode Athenis adesse et Agathonis convivio interesse potuerit. Quod ut credam, iterum facit auctoritas Thucydidis, qui V. 82. sq. Lacedæmonios hieme muros illos destruxisse et sequente demum æstate Alcibiadem cum navibus Argivis auxilio venisse refert. Adversatur quidem huic opinioni Diodorus XII, 81. etiam hanc Alcibiadis expeditionem priori anno assignans: sed quanta fides scriptori illi præsertim in rebus chronologicis sit habenda, nemo nescit. Quodsi de Alcibiadis præsentia dubitari non potest, multo etiam minus est, cur reliquos, qui Agathonis convivæ a Platone fuisse narrantur, Athenis affuisse negemus. Quis omnino credat, Platonem nostrum verisimilitudinis, quam dicimus, tam parum fuisse curiosum, ut non affuisse appareat, quos affuisse affirmat?

His ita expositis ad narrati convivii tempora quam fieri possit accuratissime exploranda accedamus, quam rem post Fr. Astium de Platonis vita et scriptis p. 313. Ritschlii doctrina et elegantia breviter attigit Commentatione de Agathone p. 19. Atque tempora illa trifariam dispertita esse jam Ritschlius monuit. Primum enim Aristodemus, qui quum esset acerrimus Socratis amator eumque comitaretur assidue, cf. p.

173. B., Phædr. p. 229. A., convivio Agathonis interfuerat, res ibi gestas narrat Apollodoro, Socratis familiari, cf. p. 173. B., nec non Phœnici, Philippi filio, qui paullo ante sermones convivales homini, nescimus cui, tradiderat, a quo Glauco, homo dives, sed a studio philosophiæ alienus, tam incertam tamque mancam narrationem acceperat, ut sermones illos accuratius descriptos audire cupiat. cf. p. 172. B. C. Cum illa narratione cave confundas secundam et tertiam, quæ unius Apollodori sunt, quarumque prior facta est, quum Apollodorus Phalero, ubi habitabat, relicto, urbem petens a Glaucone agnitus et rogatus est, ut orationes in convivio Agathonis de Amore habitas referat. cf. p. 173. B. extr. Posterior autem accidit, quum Apollodorus aliquot dies, ut colligitur ex *πρώην* vocabulo p. 172. A., Athenis commoratus, domum rediens in familiares quosdam incidit, qui eum rogant, ut item illas orationes ipsis narret. Quorum precibus ita obsecutus est Apollodorus, ut quum primum, quemadmodum petierant, solas convivarum orationes narraturus fuisset, post mutato consilio, omnem rem quomodo gesta atque ab Aristodemo tradita sit, enarrare conetur. cf. p. 174. A. Et hæc quidem narratio est, quam nunc in dialogo Platonico Aristodemi verbis exhibitam legimus. Apollodorus autem quorundam refellens opiniones de tempore habiti convivii mirum quantum lucis de narrati convivii tempore quæstioni attulit. Scilicet quum convivium habitum sit XC. a. 4., utraque autem Apollodori narratio Socrate vivo facta sit, ut apparet ex p. 172. C. *ἀφ' οὗ δ' ἐγὼ Σωκράτει συνδιατρίβω καὶ ἐπιμελὲς πεποίημαι ἑκάστης ἡμέρας εἰδέναι ὅ τι ἂν λέγῃ ἢ πράττῃ, οὐδέπω τρία ἔτη ἐστίν.* et p. 173. D. *καὶ δοκεῖς μοι ἀτεχνῶς πάντας ἀθλίους ἡγεῖσθαι πλὴν Σωκράτους*: hoc primum consequitur, priorem Apollodori narrationem (de altera autem tum res plana est, quum prior *πρώην* accidisse dicatur) factam esse inter Ol. XC. a. 4. et Ol. XCV. a. 1., quo anno Socrates septuagenarius obiit. cf. Corsini Fast. Att. vol. III. p. 46. sqq. 320. sqq. Clinton. Fast. Hell. p. 99. Deinde quum Apollodorus eo tempore, quo Agatho vicit, se adhuc puerum fuisse affirmet p. 173. A. *παίδων ὄντων ἡμῶν*, narrationem illam a Socratis morte propius quam ab Agathonis victoria abfuisse patet, ita ut rectissime et Glauco, quum non *νεωστὶ* (cf. p. 172. C.) celebratum Agathonis convivium esse probe intellexisset, respondere potuerit p. 173. A. satis multum temporis præterlapsum esse inde ab Agathonis certamine (*πάνυ, ἔφη, ἄρα πάλαι, ὡς ἔοικεν*), et Apollodorus ipse interea a puerili ætate potuerit pervenire ad adolescentiam. Denique quoniam satis certum est, Agathonem non prius quam Ol. XCII. anno circiter tertio (hoc enim anno Thesmophoriazusæ docta est, quo tempore nisi ipse affuisset, fabula illa omni vi destituta fuisset sua), neque tamen post Ol. XCIII. a. 1. Athenas reliquisse, Agatho autem obiit XCIV. fere exeunte, (vid. Ritschlius l. c. p. 19. sq. Kruegerus indic. ad Clinton. Fast. Hell.

s. v.,) inclusum habemus tempus, quo prior illa Apollodori narratio facta sit, inter Ol. XCIII. a. 1. et Ol. XCIV. extremam. Quod quidem tempus Apollodori apud Platonem p. 172. C. testimonio ita potest accuratius definiri, ut quum ille Agathonem dicat multos jam annos Athenis abesse (*οὐκ οἶσθ', ὅτι πολλῶν ἐτῶν Ἀγάθων ἐνθάδε οὐκ ἐπιδεδήμηκεν;*) rem narratam esse statuamus non ita multo ante Agathonis mortem. Illo autem tempore si Agatho jam obiisset, Plato non neglexisset aliquam mortis significationem addere, quemadmodum p. 173. B. de Aristodemo ita dixit, ut facile pateat, Aristodemum narrati convivii tempore mortuum fuisse. Etenim illis Apollodori vel potius Platonis verbis Agathonis in Macedoniam peregrinationem respici, recte Stallbaumius et reliqui post eum Convivii editores animadverterunt, et testatur scholiasta Bodlejanus s. Clarkianus [6]): *καὶ πρὸς Ἀρχέλαον τὸν βασιλέα ᾤχετο, ὡς Μαρσύας νεώτερος.* Nec non Aristophanes hoc poetæ apud Archelaum diverticulum notat Ran. v. 83. sqq.

Ἡ. Ἀγάθων δὲ ποῦ 'στιν; Δ. ἀπολιπὼν μ' ἀποίχεται,
ἀγαθὸς ποιητὴς καὶ ποθεινὸς τοῖς φίλοις.
Ἡ. ποῖ γῆς ὁ τλήμων; Δ. ἐς μακάρων εὐωχίας.

Quibus versibus scholiasta dubitat, utrum iter Macedonicum an mors Agathonis significetur: *ἢ ὡς περὶ τετελευτηκότος λέγει, ὡσανεὶ περὶ τὰς μακάρων νήσους, ἢ ὅτι Ἀρχελάῳ τῷ βασιλεῖ μέχρι τελευτῆς μετὰ ἄλλων πολλῶν συνῆν ἐν Μακεδονίᾳ. καὶ μακάρων εὐωχίαν ἔφη τὴν ἐν βασιλείοις. τοῦτο δὲ παρ' ὑπόνοιαν.* Inter viros doctos recentioris ætatis cum S. Petito Miscell. I. c. 14. et P. Bælio s. voce Agathon. Welckerus de Aristophanis Ranis p. 241., Schlegelius de arte dramatica p. 308. et C. B. Martinius programmate de Agathone Valcii a. 1839. edito p. 8. sqq. Agathonem jam ante Ranas actam (i. e. ante Ol. XCIII. a. 3.) mortuum esse putaverunt. Alii, ut Fr. A. Wolfius Prolegom. ad Symp. p. XXXVII. ed. Lips., rem in medio reliquerunt. Contra ea verissime Ritschlius l. c. p. 19. sqq. illa Bacchi verba de Agathonis itinere Macedonico intelligenda esse statuit, neque L. J. Rueckertus longe abfuisse videtur, quin præferret hanc interpretationem de Platonis Convivio expositione p. 251. Etiam Clintonus Fast. Hell. p. XXXIII. y. posteriorem scholiastæ interpretationem probat, quam ambiguitate non laborare extra omnem dubitationem posuit Ritschlius l. c. p. 21. recte animadvertens, *μέχρι τελευτῆς* verba ad subjectum enuntiationis grammaticum, quod est in

6) Integrum scholion est apud Gaisford. Lectt. Platt. p. 173. *Ἀγάθωνος, τραγῳδι ... ἐπὶ μαλακίᾳ ... τάδη. ἦν δ' οὗτος ... παῖς Ἀθηναῖος (γένος) παιδικὰ Παυσανίου τοῦ τραγικ ... καὶ πρὸς Ἀρχέλαον τὸν βασιλέα ᾤχετο, ὡς Μαρσύας νεώτερος. ἐμιμεῖτο δὲ τὴν κομψότητα τῆς λέξεως Γοργίου τοῦ ῥήτορος.* cf. Clinton. p. XXXI. et Rueckert. ad Conviv. p. 5.

συνῆν voce, esse referenda: hanc enim construendi rationem adeo consentaneam esse loquendi simplicitati intelligendique commoditati, ut non modo simplicius institui non potuerit oratio, sed contra, si regis mors significanda fuisset, *αὐτοῦ* genitivus deesse nullo modo potuisset.

Quæ quum ita sint, non singula quidem rei argumenta recensebo, sed tamen ea afferam, ex quibus Aristophanem non de Agathonis morte loqui maxime apparere censeam. Jam Martinius l. c. p. 9.: „Hoc si tenemus, inquit, Bacchum dicere, opus sibi esse bono poëta; tales enim non amplius esse; qui vero sint, pravos esse; si porro tenemus, Bacchum e posteriorum numero solum Jophontem excepisse; tunc omnino quemque debet offendere, paulo post memorari Agathonem, ita quidem, ut bonus poëta esse prædicetur.“ Verum enim vero quod ad Jophontem, Sophoclis filium, attinet, ambiguo eum Bacchus notat judicio v. 73. sqq.:

τοῦτο γάρ τοι καὶ μόνον
ἔτ' ἐστὶ λοιπὸν ἀγαθὸν, εἰ καὶ τοῦτ' ἄρα.
οὐ γὰρ σάφ' οἶδ' οὐδ' αὐτὸ τοῦθ' ὅπως ἔχει.

ita ut, quum putaretur ille patris tragœdias pro suis venditare, bonum quidem poëtam videri dicat, sed minime affirmet, eum revera talem esse. Neque magis probanda esse puto, quæ de Agathone protulit vir doctus. Quotus enim quisque est, qui credat, Aristophanem quum in Thesmophoriazusis mirum in modum Agathonem exagitavisset et fortasse ea re effecisset, ut Athenas ille relinqueret, suam de tragico poëta sententiam ita mutavisse, ut eum non jocose, sed serio bonum poëtam a Baccho dici patiatur? Quemadmodum vero *ἀγαθὸς* vocabulum recte habetur parodia ad ipsum Agathonis nomen, ita illis *ποθεινὸς τοῖς φίλοις* continetur ironia egregia, quod qua de causa ita esse neget Martinius, neque ipse declaravit neque ego assequor. Mihi enim ab Aristophane natura Agathonis ad mollitiem hospitalitatemque maxime propensa tectius quidem, sed jocosius notari videtur. Hoc eo magis mirere virum doctissimum non ita interpretari, quum ipse in ea scriptionis parte, qua de Agathonis amoribus disputavit, nonnulla in medium protulerit, quæ commode ad hanc rem pertinent. cf. p. 11. Non igitur absurde mihi videor facere, si statuo versu 84. non ad mortem Agathonis respici, sed ejus poësim et amores perstringi ab Aristophane. Quod autem Ritschlius l. c. p. 21. monet, profecto et verissimum et gravissimum est. En ejus verba: „Quid? quod in ipsa fabula Aristophanis Hercules, ubi ex Baccho, bonos huic deesse poëtas, audiverat, tam vere, qui mortui essent, qui vivi, compertum habuit, ut inter omnes illos tragœdiæ poëtas, de quibus singillatim eum quærere videmus, ne unum quidem poneret, qui vere mortuus esset: de quo autem uno paullisper dubitare videtur, Jophonte, de eo pla-

ne aliter quærit οὐ ζῇ; quam de Agathone: ποῦ ἔστιν;“ — Denique non dubito, quin Bacchi verbis ἐς μακάρων εὐωχίας Aristophanes lautas indicare voluerit Archelai epulas, de quibus Aelianus Var. Hist. XIII, 4. hæc refert: Ἀρχέλαος ὁ βασιλεὺς ἑστίασιν παρεσκεύασε πολυτελῆ τοῖς ἑταίροις. προϊόντος δὲ τοῦ πότου ζωρότερον πιὼν Εὐριπίδης ὑπήχθη πως κατ᾽ ὀλίγον εἰς μέθην. εἶτα συγκλιθέντα αὐτῷ Ἀγάθωνα τὸν τῆς τραγῳδίας ποιητὴν περιλαβὼν κατεφίλει τεσσαράκοντα ἐτῶν που γεγονότα. Ejusmodi autem lusus ab Aristophanis consuetudine minime alieni sunt. Quid? quod carpsisse videtur orationem ipsius Agathonis, qui quum esset Gorgiæ sophistæ discipulus, quam studiose similes verborum sonos quæsiverit norunt omnes.

Quibus expositis, ne lectores defatigem atque in res a consilio meo alienas abeam, ad Platonis Convivium revertor. Satis enim explicatum arbitror, egregie falli, qui ante actam Thesmophoriazusas vita cessisse statuant Agathonem. Sed ne proximis quidem annis priorem illam Apollodori narrationem accidisse, ex ipsius Apollodori verbis apud Platonem p. 172. C. sequi supra jam monui, ubi quum multi dicantur præteriisse anni, ex quo Athenas Agatho reliquerit, vero proxime videbimur abesse, si circa finem Ol. XCIV. habitam esse censemus priorem Apollodori narrationem.

Hujus autem loci est Athenæi convicia in Platonem strictim perscribere. Ille enim temporibus Convivii Platonici non perspectis, quum dialogi scriptorem ipsum Agathonis convivio interfuisse et ideo novissimam ejus rei narrationem exhibuisse sibi persuasisset, Deipnos. V. p. 217. A. ed. Casaub. sive p. 335. ed. Schweigh. nugari Platonem omnino in Convivio suo dicit, quod ut probet, philosophum illum, quippe tempore habiti convivii quatuordecim annos non excedentem, in illo virorum coetu affuisse negat, et quæ Apollodori sunt verba, ea tribuit Platoni ipsi. Tanta perversitate, cui par nulla ne cogitari quidem potest, postquam nonnulla ex Convivio attulit, Platonem contra temporum rationes peccavisse nugatur, ita ut quod dixit: ὅμως δὲ λῆρός ἐστι τῷ Πλάτωνι τὸ Συμπόσιον, non in Platonem, sed in grammaticum doctiorem quam acutiorem conveniat.

Non minus perverse de Convivii scriptore judicat Aristides, cujus ignorantiam nescias an invidiam majorem esse existimes. Etenim quamquam argumentum satis firmum est nullum, cur Agathonis convivium revera habitum esse negemus, tamen sophista ille convivium Platonicum fortasse in Elysio celebratum fuisse scribens Vol. II. p. 371. ed. Dindorf. (Vol. III. p. 475. ed. Cant. s. Vol. II. 286. sqq. ed. Jebb.) hæc nugatur: ἐν γὰρ τῷ Συμποσίῳ συνάγει μὲν εἰς ταὐτὸν Ἀριστοφάνη καὶ Σωκράτη καὶ Ἀγάθωνα, ἔτι μειράκιον ὄντα, ὥς φησι. προάγει δὲ εἰς τοσοῦτον τοὺς χρόνους, ὥστε λέγων ὁ Ἀριστοφάνης, ἐπειδὴ τῆς λυγγὸς ἐπαύσατο, τὸν προβληθέντα λόγον μέμνηται καὶ οὗτος αὖ

πάλιν Ἀρκάδων ὑπὸ Λακεδαιμονίων διῳκισμένων. διῳκίσθησαν δὲ Μαντινεῖς ὑπὸ Λακεδαιμονίων ἤδη τῆς εἰρήνης ὀμωμοσμένης κ. τ. λ. Atque Agatho, qui habiti convivii tempore annos circiter triginta natus erat, in dialogo nostro non μειράκιον, sed vel νέος vel νεανίσκος audit: μειρακίου autem nomine appellatur a Platone in Protagora p. 315. E, quæ quidem appellatio respondebat Agathonis ætati Ol. LXXXVII. a. 2., quo tempore dialogus ille habitus esse fingitur et quo Agatho circiter XVI. annum agebat. Aristides igitur aut Convivii et Protagoræ verba confudit, aut invidia motus verum non dixit.

Quæ quum videantur nunc satis perspicua esse, ad novam eamque non minus difficilem quæstionem transeamus, quæ est de tempore scripti Convivii. In qua quidem quæstione viri docti etsi multum laboraverunt, tamen non satis quo hic liber scriptus aut editus sit anno constare professi sunt. Vid. Weiskius ad Xenoph. Conviv. p. 97., Schneiderus ad Xenoph. Conviv. p. 140., Wolfius ad Plat. Conviv. p. XLV. sq., Stallbaumius ad Plat. Conviv. p. 16., Rueckertus ad Plat. Conviv. p. 328., Anonymus in Biblioth. crit. Amstelod. V. I. P. I. p. 34., Bœckhius de simultate, quæ Platoni cum Xenophonte intercessisse fertur, p. 19. sq., Schleiermacherus ad. convers. P. II. V. II. p. 382., Astius de vita et scriptis Platonis p. 315., Hartmannus commentt. soc. philol. Lips. V. I. P. I. p. 167. Sed illud nullo modo dubitari potest, Convivium post annum quartum Ol. XCVIII. scriptum esse. Hoc enim colligitur ex Aristophanis oratione p. 193. A. posita, ubi Mantineenses in vicos dispersi commemorantur hisce verbis: καὶ πρὸ τοῦ, ὥσπερ λέγω, ἓν ἦμεν· νυνὶ δὲ διὰ τὴν ἀδικίαν διῳκίσθημεν ὑπὸ τοῦ θεοῦ, καθάπερ Ἀρκάδες ὑπὸ Λακεδαιμονίων. Cujus rei mentionem fecere Thucydides V, 29. Xenophon hist. gr. V, 2, 7., Diodorus Sic. XV, 5. ubi vide Wesseling., Strabo VIII. p. 337. ed. Casaub., Polybius IV, 27., Pausanias VIII, 8, 5., Aristides Vol. II. p. 371. et p. 435. ed. Dind. (Vol. III. p. 475. et p. 551. ed. Cant. s. Vol. II. p. 287. et p. 330. ed. Jebb.), Isocrates Panegyr. p. 67. ed. Bekk. (§. 126. ed. Brem.) et de Pace p. 179. ed. Bekk. (§. 179. ed. Brem.), Aristoteles Polit. V, 8, 8. ubi vide Schneider. p. 336., Harpocratio v. Μαντινέων διοικισμός. Illa verba quamquam viri docti omnes ad Mantineenses Ol. XCVIII. a. 4. a Lacedæmoniis muris suis privatos et per vicos habitare coactos retulerunt, tamen A. F. Hommelius, elegans Convivii editor, cujus morte præmatura literæ damnum fecerunt, anachronismum, quem dicunt, hic ineptum esse neque ullum temporis indicium inde peti posse p. 180. sq. et 404. sq. ratus, Platonem νυνὶ δὲ διὰ τὴν ἀδικίαν διῳκίσθημεν ὑπὸ τοῦ θεοῦ, καθάπερ Ἀρκάδες ἀπὸ Λακεδαιμονίων scripsisse putat, ut καθάπερ Ἀρκάδες ἀπὸ Λακεδαιμονίων proverbialis fuerit

dictio, qua uterentur ad naturalem firmitatem alicujus fissuræ describendam atque indicarent, integritatem non posse restitui. At mirum quam lubricam Hommelius rationem iniit, ut eadem incedere via non audeam. Primum enim haud scio an recepta illa conjectura orationis concinnitas prorsus tollatur. Deinde διῳκίσθημεν verbum, quo usum esse Aristophanem pro διεσχίσθημεν voce [7]) propter adjecta verba καθάπερ Ἀρκάδες ὑπὸ Λακεδαιμονίων Stallbaumius præclare annotavit et ipse Hommelius intellexit, omni vi destitueretur sua, nisi ad Mantineenses per vicos dispersos simul referendum esset. Præterea quum eodem διῳκίσθημεν verbo contineatur illud, quod ante unum idemque corpus effecerat, nunc dissectum est: consentaneum est in comparatione aliquid ponere, quod non amplius integrum est, sed diremtum et disjunctum cogitatur. Hommelius autem ut conjecturam suam commendet, hæc protulit: „Arcadiam inter et Lacedæmonem scimus montes altissimos sitos esse, quibus utriusque terræ arctior conjunctio prohibetur.“ Sed artificiosior quam verior est hæc explicandi ratio, qua nemo non videt voluntatem scriptoris corrumpi ac depravari. Hoc unum, puto, satis erit ad Hommelii sententiam refellendam. Quis tandem Arcades et Lacedæmonios ita commemoret, ut disjunctio eorum conferatur cum dissectione generis humani? Hæc enim comparatio non esset ineptissima, si illi unquam fuissent conjuncti, quemadmodum homines, antequam dissecti sunt, unum corpus effecerunt.

Quæ si vere disputata sunt, verba supra posita, quippe omnium librorum consensu et Aristidis [8]) auctoritate firmata, non amplius in dubitationem vocabuntur. Etenim licet verum sit, id quod J. Socherus quoque annotavit de scriptis Platonis p. 37., Aristidem sophistam et Athenæum immerito multos Platoni errores in temporis ratione commissos exprobravisse, tamen concedendum est, philosophum haud semel non per errorem, sed dedita opera temporis rationem neglexisse: quos errores tantum abest ut Platoni vitio vertam, ut vim comicam in ea re positam esse putem maximam. Quare quum διοικισμὸς ille in Ol. XCVIII. a. 4. incidat, quo anno Dexitheus archon fuit, (vid. Clinton. Fast. Hell. p. 110.), Agathonis autem victoria Ol. XC. a. 4. facta sit: orator, qui rem triginta annis post factam commemoret, risum moveat necesse est apud omnes, qui adsunt. Comparationem vero ipsam quod attinet, quid omnino contineat offensionis, non perspicitur. Comparat enim Aristophanes cum Mantineensium dislocatione humani

---

7) Quare recte Wolfius: „Und so steht διῳκίσθημεν in einem witzigen Doppelsinne, der sich leicht fühlen läßt.“

8) Vide verba ejus supra p. 11. allata.

generis dissectionem ita, ut tertium, quod vocatur, comparationis non desideretur, ut Hommelius putat, sed in dissecandi notione positum sit. Itaque Mantineensium commemoratio tantum abest ut offensionem habeat, ut additamentum ea re ad jocosam Aristophanis oratiunculam accessisse videatur aptissimum.

Apparet igitur, verbis illis uti licere ad tempus scripti Convivii definiendum, quo vestigio si insistamus, ad tempus Olympiadis XCVIII. anno quarto proximum ducimur. Quæ quum ita sint, quamquam nemo facile eo progredietur, ut certo quodam anno scriptum vel in lucem emissum librum esse affirmet inde sequi, tamen quum eo tempore, quo Convivium Plato conscripsit, memoria Mantineæ excisæ videatur fuisse recens, non poterit temeritatis accusari, qui vel eodem illo Ol. XCVIII. anno quarto vel paullo post dialogum nostrum a Platone scriptum esse statuat.

Sed quod Schleiermacherus ad convers. germ. P. II. Vol. II. p. 369. sq. et Bœckhius de simultate, quæ Platoni cum Xenophonte intercessisse fertur, p. 19. sq. censent, scriptum quidem esse posse Convivium paullo post Mantineæ casum, tamen non minus recentem rei memoriam fuisse Ol. CII., quo tempore oppidum restitui coeptum est, non videtur sententiam meam refellere. Rectissime enim Socherus et Rueckertus ll. cc. animadverterunt, eo tempore, quo Mantinea restituebatur, propiorem abfuisse in unum redeuntium cogitationem quam olim disjectorum memoriam: aliter enim rectius Aristophanes dixisset Amore homines ad pristinam integritatem reduci atque Mantineenses in unum coire. Omnino autem quam improbabile sit, Convivium a Platone jam seniore conscriptum esse, monuerunt Wolfius p. XLVI., Socherus l. c. p. 337., Weiskius Quæst. de Conviv. Xenoph. p. 96. sq. Neque magis placet, quod alii statuerunt, ut Casaubonus ad Athen. V. p. 216. F. (sive p. 228. t. III. ed. Schweigh.), Tennemannus System. Platon. philos. Vol. I. p. 122., Hartmannus l. c. (cf. Wolf. p. XLVI.), Platonem illa de Mantineensium dislocatione verba addidisse, quum secundis curis aut tertiis librum suum retractaret. Quamquam enim etiam Dionysius Halicarn. de comp. verbor. c. 25. Vol. V. p. 208. sq. ed. Reisk. ad extremam usque vitam Platonem scripta sua correxisse et refinxisse narrat, [9]) tamen non minus ineptum esset, hoc si Plato postea addidisset,

---

[9]) Quam inscite autem et maligne Dionysius de Platone disputaverit, post C. G. Kruegerum Comment. ad Dionys. Halic. Historiogr. p. 258. sq. nuperrime exposuit Vitus Lœrsius programmate de Dionysii Halicarnassei judicio de Platonis oratione et genere dicendi. Trevir. 1840. Quod autem ad Convivium attinet, repetitæ recensionis vestigia in eo reperi nulla, et verba de Mantineensium calamitate ita comparata sunt, ut quomodo novæ editioni potuerint addi non intelligatur.

quam si posteriori, quam quo statuo, tempore scribens non restitutæ, sed excisæ Mantineæ mentionem fecisset.

Quæ si ita sunt, ut mihi videtur, harum rerum hæc erunt tempora:

Ol. XC. a. 4. sive a. 417. a. Chr. n. Agatho vicit tragœdia intituitque convivium.
Ol. XCIV. extrema sive a. 401. a. Chr. n. facta est prior Apollodori narratio.
Ol. XCVIII. a. 4. sive. a. 385. a. Chr. n. vel paullo post Convivium Platonis scriptum est.

Josephus Spiller.

Quum alia quædam minoris momenti errata typhographica irrepserunt in hunc libellum, tum hoc gravius, quod p. 6. lin. 23. post quid pronomen excidit de præpositio.